

Beger, Lorenz: Examen Dubiorum Quorundam I. An Cicero Proconsul Asiae appellari possit? II. An Quirinus Memmii cognomen sit? Et Nomina Tribuum, Nominibus Romanorum adiecta, etiam Cognomium formam admittant? III. An Corona Isthmiaca ex Selini Semine? an ex Foliis plexa fuerit? IV. An hemistychium Statii, Nec Adhuc Implere Tiarum, Paschalius recte pro Munera Regia Obire sumserit?

Berolini, 1604 [i.e. 1704]

Seite 6

6

EXAMEN



In quo vocabulum *Trio*, non tantum ad *Stellas* refertur, sed denuò *Cognomen* est. Possent & Nummos Marciorum producere, in quibus cognomen *Philippi* etiam ad Equitem respicit. Possent C. Minucii Augurini, qui Augurem expressit, ut cognominis rationem redderet. Quidni igitur idem credatur fecisse Memmii, Romulum, Romulique post fata nomen exprimendo? Dispar ratio est, inquit ETASTES. Cognomina, Petillii, L. Antonii, L. Aquillii, L. Lucretii, Marciorum, & Minucii, ex Authoribus ostendi possunt: Memmium autem cognomento *QVIRINUM* dici, ostendi non potest. Omnino potest, respondit *DULODORUS*; Quidni enim in Inscriptione Gruteriana pag. *CCCCXXXVII. n. 7. P. MEMMIUS. QVIR. APOLLINARIS. & n. 8. C. MEMMIUS. OPTATI. FILIUS. QVIRINA. SEVERUS.* memorantur? adeò ut à Memmiorum familia cognomen hoc adeò alienum videri non debeat.

*Tribum*, excepit ETASTES, cum *Cognomine* confundis. *Quirinâ Tribu* legendum esse, omnis Antiquariorum Corona jam dudum decrevit, nec abs ratione: apud eundem Gruterum Pag. *DCXVIII. n. 3.* legitur *M. SALVI. FELICISSIMI. TRIBU. ES. Quirinâ.* Indeque patet, omnes ejusmodi Inscriptiones, quæ Tribuum Nomina Nominibus adjiciunt, subintellecto vocabulo *Tribu* semper legendas. Bona verba quæso! inquit *DULODORUS*. Possent ita legi, imò & interdum debere, facile dederim; Sed *semper* ita legendas, si me audieris, non decernes. Quid enim? cum à rebus, tantum non quibusvis, Cognomina Romani desumerint, annon etiam desumerint à Tribubus? aut minimum ab iis, à quibus & Tribus appellatiōnem meruere? Claudiam Tribum à Claudia familia dictam esse, quis neget? Quis Fabiam à Fabia gente? ut nihil de Æmilia, Cornelia, Flavia, Papiria, Veturia dicam. Et in his si nomen truncatum in Inscriptionibus occurrat, exempli gr. *CL. CLAU. CLAUD. FAB. ÆM. ÆMI. ÆMIL. COR. CORN. CORNEL. PAP. PAPIR. VET.* Quidni liberum erit, æque casu nominandi, *Claudius, Fabius, Æmilius, Cornelius, Papius, Veturius* enunciare, adeoque Cognomen putare, sive à Tribu. sive à Gente, desumptum? æque, inquam, ac casu ablativo, *Claudiâ, Fabiâ, Æmiliâ, Corneliâ, Papiâ, Veturiâ*, subintellecto vocabulo *Tribu*? Fervide rem propugnans, inquit ETASTES, sed non pervincis. De Tribubus res nota est, de Cognominibus non item. At Ego faxo, inquit *DULODORUS*, ut sit. Inspice sequentes Inscriptiones Gruterianas!

G. MUR-